

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Stockmann

**Programma Quo, Ad Victoriam Resurgentis Nostri Redemtoris, Devota mente
recolendam, cives Academicci admonentur**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734831765>

Druck Freier  Zugang



R U Progr. 1650

- 1) Joach. Stockmann
- 2) Johannis - Stockmann
- 3)
- 4) Caspar Maunius
- 5) Augus Varenius
- 6) Joach Stockmann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734831765/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734831765/phys_0002)



PROGRAMMA

Quo,

**Ad VICTORIAM
RESURGENTIS NO-
STRI REDEMATORIS,**

**Devota mente recolendam,
cives Academicici admo-**

**Rectore Academiæ Rostochiensis
JOACHIMO STOCKMANNO,
Phil. & Med. D. ac Prof.**

*P. P. Rostochij sub Sigillo Rectoratus 14. Aprilis
An. 1650.*

¶(o)¶



ROSTOCHII,
*Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.
Anno M^l DC. L.*



Vāmvis, qvod nuper monui-
mus, varia, eaq; famosissima passim
in orbe terrarum gesta legantur bel-
la, & ex bellis natæ victoriæ, victorijs
parti triumphi; Extra dubium tamen est, quin id
ipsum, inter infensissimum humani generis ho-
stem Satanam, & omnipotentem nostrum pro-
teetorem Jesum Christum, passionis tempore
gestum sacrum bellum, indeq; resurrectionis
tempore nata victoria, & tempore ascensio-
nis celebrandus triumphus, quibusvis famo-
sissimis famosiora sint bellis, victorijs, tri-
umphis. Romanam historiam quod attinet,
Pompeium de proscriptis Africanis trium-
phantem, elephantis loco equorum, usum,
Plinius scribit, Cujus magnificentiam Antoninus
superaturus, Pharsalica victoria tumidus, Leo-
nes currui triumphanti adjugavit, Claudi⁹, Græ-
cis subactis, Romam, disiecta mœniorum parte,
albis caballis vectus, veste purpurea stellis distin-
cta, & intertextâ corona redimitus Urbem ingres-
sus, croco per plateas sparso, victimis cœsis, di-
vini numinis instar à populo adoratus est. Quin-
tius Flaminius victoria adversus potentissimum
hostem,

hostem, Philippum Macedonem obtenta, Theſala oppugnata , mille & ducentis civibus ex Achæorum potestate liberatis, prælatâ peltâ & ſariffa Macedonica, triumphum ſpectatissimum egit. De L. Siccio ſive Sicino dentato vix credibilia referuntur, centies & vicies in aciem descendiſſe, ſena ſupertricena ſpolia ex hoſte retuliffe, cives quatuordecim ſervaffe, quinq; & quadraginta vulnera adverſa excepiffe, averſum nullum; novem triumphales Imperatorum currus ſecutum, totius Civitatis oculos numerosa donorum pompa in ſe concitaffe, cum ei triumphanti præ fermentur, aureæ coronæ octo, civicæ quatuordecim, murales tres, obſidionalis una, torques tres & octoginta ſuper centum, armillæ centum quadraginta, haſtæ octodecim, phaleræ quinæ & vicenæ, ornamenta etiam legioni, nedum militi ſatis multa.. Sed reſerve muſ ſuo tempori triumphum noſtri victoris, cuius magnificientiam Regius Prophetæ David graphicè denunciavit, dicens: Currus Dei cum milles millibus lætantium Dominus in ijs in Sinai Sancto ; aſcendit in altum, captivam captivitatē duxit, dedit dona hominib⁹ Deus noſter ad ſalvandum, & Dominus educens ē morte. Unde liquet ſi cum triumpho cœlum conſcendentis noſtri triumphatoris quicunq; alij conſeruantur.

A 2

trium-

triumphi, statim vilescere omnes, & minorum
stellarum instar majori solis jubare oblitterari ; iti-
dēq; omnes omniū ætatū victorias umbræ instar
evanescere , si cum hodierna victoria conferan-
tur. *Sive*, præter alias ex sacro codice admiratio-
ne dignas, illam ex profana historia p̄ticipuè ad-
mireris, quam Tamyris Regina Scytarum contra
Assyrios obtinuit, quando ducenta millia hosti-
um una acie trucidavit, tanta cæde, ut ne nuntius
quidem luctuosissimæ cladis superfuerit; *Sive*,
quam Locrenses contra Crotoniatas, Alexander
contra Darium, Romani contra Asdrubalem, *sive*
quamcunq; aliam admireris victoriam. Etenim
victor hic noster non Indos, quos Bachus, non
Sardos, quos Lucius Attilius, non Illyrios, quos
Livius Salinator, non Salentinos, quos M. Atti-
lius Regulus, non Ligures, quos Paulus Æmilius
Junior, non Sabinos, quos Menenius Agrippa,
non Veiös, quos Furius Camillus debellarunt,
sed orbem universum , nec orbem tantum uni-
versum, sed & orcum sibi subjicit, ejusq; clau-
stra perrumpens, non aprum Erymanthium, sed
tricūpitem cerberum, leviathan, Behemothum
omnesq; infernales exercitus profligavit, unoq;
ictu validissimos quatuor hostes, peccatum,
mortem, Diabolum, mundum, prostravit.
Et quidem Victoria hæcce eò est mirabilior &
rarior, quod non cataphractorum validâ manu,
mul-

multisq; militum Legionibus accitis, sed indupe-
ratore nostro solo torcular calcante, non strata-
gemate, sed aperto Marte, obtenta fit. Descendit
solus, ascendit & resurrexit magno cum beatorū
agmine, in quo & Adamum Protoplasmum fuisse
Epiphanius scribit, stipatus. Expedire tām præ-
clara facinora, nec Seraphim, Cherubimve, totaq;
Angelica cohors, nec Enochī coram Deo inte-
gritas, nec Noachi justitia, nec Abrahæ fiducia,,
nec Moysis sanctitas, nec Davidis pietas, nec Sa-
lomonis sapientia potuit. Solus repertus est He-
ros geminæ substantiæ, tām fortes hostium impe-
tus sustinere, & iram Jehovæ sedare qui valuit.
Sonus hicce Servator nōster-victoriam hancce
admirabilem sibi vendicat, nec est quisquam, qui
quicquam laudis ei decerpit. Achillem de hosti-
bus triumphantem deprædicat Homerus; ast
eundem ad mortis præ sagium exhorruisse idem
notat. Achilles nōster mortem nō modò non
expavit, vel timuit, sed eandem potius commi-
nuit, contrivit & absorpsit, manubias & spolia,
non arbusculam balsami, aut imaginem suam
gimmis decoratam, uti Cneius Pompeius, non
signa ærea, ut L. Mammius, non exanimie corpus
Cleopatræ, uti Augustus; sed mortis spicula, pal-
mam pacis, omnesq; infernales cohortes in tri-
umphum dicens Oseæ illud inclamavit: Ero pe-
stis tua, O Mors, & morsus tuus, ô infernus.

Cæterum victores etiam meritis laudibus & Epinijs celebrari solitos, ex historiis constat. Sic Traianus potentissimus Romanorum imperator tanta rebus gestis meritus est præconia, ut à senatu Romano optimus cognominatus sit, & remedium malorum divinitus datum. In primis ob cruentissimam illam à Dacorum Rege reportatam victoriam, ubi, deficientibus linteis quibus vulnera militum obligarentur, proprium paludamentum in hunc usum scindere non recusavit. Sed quid Traianum ita laudari ad nos attinet? victor noster Jesus Christus, verè optimus est, quia omnis boni fons est, & homo est sanctissimus, & ex grege peccatorum exemptus immaculatus agnus.

Remedium divinitus datum est, quia ex sinu Patris sui cælestis, propter nos homines & nostram salutem ē cælis descendit, & contra mortale peccati venenum (quod virulentissimus serpens Diabolus nostris Protoplastis, nobisq; in illis, in Paradiso propinarat) præsentissimam attulit medicinam, nec illam ex scissæ tunicæ fasciis, sed ex dilaniato proprio corpore & inde largiter profuso sanguine præparatum, præsentissimum alexipharmacum. ast! O admirandum divini consilij mysterium, Dux vitæ & Dominus gloriæ cruci affigitur, ut homo æterni patibuli reus absolvatur; Deus immortalis moritur, ut homo morta-

mortalis vivat; in humanis quidem bellicum illud axioma Curtij sortitur locum, quod victoria capite summi Ducis emi non debeat, quare etiam Israelitæ Regem suum Davidem decem milibus æquiparabant, & ut domi extra aciem telliq; jactum tutus residere vellet, rogabant. Hoc autem in bello ipse Rex Regum & Dominus Dominantium, ut vitam impenderet, necesse fuit, nec enim conteri potuit caput serpentis, nisi calcaneum hujus nostri Ducis admorderet; agnus erat dux noster, in agno Paschali Judaico præfiguratus, ergo erat mactandus; Vir dolorum erat prævisus, ergo maximis doloribus erat cruciandus; Davidi, illi Pastoritio Heroi, sine armis bellis Goliathum fundenti erat assimilandus, ergo omnipotentia divina (Saulis gladij) quoad tempus erat deponenda; Vermis erat denominatus, ergo sibi sub lapide vermiculorum instar voluit esse locum; Jonæ erat antitypus, ergo ventri sepulchrali terræ, ingentis quasi piscis, omnia ventia deglutientis in tertium usq; diem debuit esse inclusus. Non autem est, ut ob id, de hoc nostri redemptoris calcaneum vulnerati, agni mactati, vermiculi lapide obruti, Jonæ triduum sepulti, victoriā, minus bene speremus; sustinuit ille exiguum in calcaneo mortsum, ut hosti caput diminueret, & cum aculeo, quem in vulnere amicis, omnem ulterius nocendi vim adimeret; vermicu-

miculus sub lapide deprehensus, parva esca mor-
tis factus est, ut nos faucibus illius eriperet, & ad
magnam illam cælestem omnium credentium
Metropolin reduceret; sepultus est, ut illos,
qui à primi hominis morte sepulti, & impo-
sterum sepeliendi, resuscitaret, & ipsis liberum
ex sepulchris exitum præstaret; agnus est
maestatus, ut leo de tribu Iuda vicit, resurgeret.
Atq; ita gloriose surrexit noster vicit. Surge &
tu ô homo, imprimis tu studiosa juventus, quæ
sæpius, proh dolor! in peccatis dormis & somnias.
Varius somnus multorum sæpè oculos occupat,
& quidem somnus ebrietatis, ne videant, quid
sit sobrium, somnus libidinis, ne videant, quid sit
castum, somnus iracundia, ne videant, quid sit
mansuetum, somnus inobedientia, ne videant,
quid sit obsequium, somn⁹ reputationis, ne vide-
ant, quid sit submissum, somnus otij, ne videant,
quid sit studium. Excutite somnum, vos, qui tali
somno estis sepulti; ex tenebris vester Salvator
surrexit, & vos ex tenebris, quæ vos excæcant, sur-
gite, ut Christus vos illuminet, Qui maximum il-
lud saxum sepulchri orificio admotum vicit
penetravit; nec vos curetis saxa illa, quæ mun-
dus & diabolus vobis obijciunt, impedimenta.
Postulat hoc Paschalis hujus festi festivitas, &
paterna admonitio, cuius contemtores Nemesis
divina comprehenderet, propria conscientia tor-
quebit, & magistratus pænâ severè cöercebit.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
/rosdok/ppn734831765/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734831765/phys_0011)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734831765/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734831765/phys_0012)



nis & responsionis, quæ est de homine
alissimam mortem, *seu* אִנְנוּ כוֹרֵת
conciliando per illam mortem D E C
רָחַם הָרָבָּה illorum scilicet, ex his eis
נְפָצָה, mentione & applicatione magnificâ,
propter Dominum, & triplicati
dentiâ, tum ex עַמְּךָ מְנֻחָה עֲרָבָה
quod non
piatorii ac propitiatorii sacrificii JES
moriam supplicant & intelligentissimo
tori Danieli vel solâ suggerere ceremoniâ
tamen posse 62. demum septim. בֶּרֶת לְשׁוֹבֵב
434. annos illa כְּרִיחָהָה המשיח futura
gai, ut ut 400 adhuc supereffent anni, id est
habet: Malachia idem intervallum pro ex-
mox, inquit, veniet: Sacharia: jubila
Zion, exulta valde: Ecce Rex tuus:
Sic ad eandem filiam Zion & domum
conspirabant duo potentissimi Reges, Feschaja
timero והשְׁמָר contine te, & fi-
lus esto: irritum erit & inane hostiu-
lat pro domo Davidicâ Immanuel na-
& Davidicâ stirpe: hoc ergo non erat
vidicæ vobis firmamentum & signum
concipiet, & pariet filium, & vocabis
men ejus Immanuel.

Superat & facundiam disertissimorum
uis angustiam majestatica unius Esaiæ p-
totius Propheiæ Thema generale speb
הסילוּרְתָּה: In solo Messia ex domo I
esusq; spirituali æterno & majestatico
lo corporali vel Judaico vel Israëlitic



the scale towards document